185

1511.

# Sigismundus I. Rex Poloniæ, Cardinali Strigoniensi.

Reverendissime in Christo Pater et domine amice noster Charissime et tanquam Pater honorandissime.

Contulit non pridem Reverendus Dominus Episcopus Vratislaviensis Prebendam in Ecclesia sua Magistro Martino Dobrogostio Prædicatori Almano in Cracovia doctrina illius, et virtute integritate inductus, pro qua nunc a quodam Doctore Stephano Taurino familiare Vestræ Reverendissimæ Paternitatis jus ad illam habere se prætendenti, quod nobis est molestum habemus enim ipsum Martinum Magistrum ejus virtute singulariter commendatum. Et proinde rogamus vestram reverendissimam Dominationem continere velit suam familiarem, et bonum virum in eo Sacerdotio, quod illi est legitime collatum impediat, nam posset id nobis multum displicere. Faci: et Vestra Reverendissima Paternitas rem et gratam nobis, et suæ erga nos benevolentiæ congruam. Cujus amori nos ea animo commendamus, et valere illam felicissimè desideremus.

Datum etc.